16 Sch.

PROPOSITIONES
DE CHRISTI ADVENTU, EJUSQUE DIVINITATE,

QUAS SUB AUSPICIIS

AMPLISSIMI PRÆSULIS

MARCI CORNELII,
EPISCOPI VICENTINI,

DUCIS, MARCHIONIS, & COMITIS &c. &c.

Publice propugnandas exponit

ANDREAS CAPAROZZO

Seminarii Vicentini Alumnus,

Præceptore, & Adjutore

JOANNE ZANADIO

Sacræ Theologiæ Doctore, & in eodem Seminario Lectore.

PATAVII, MDCCLXXV.

Ex Typographia Seminarii.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Inhoneſtum eſt, ut Eccleſiaſticus Vir, his, qui foris ſunt, calumniantibus, per ignorantiam conticeſcat; & Chriſtianus de Chriſto *reddere rationem neſciens, inimicis inſultantibus victus, & confuſus abſcedat. Huc accedit, quod ſæpe hujus rei noxia imperitia, & cavenda ſimplicitas non ſolum audaciam Incredulis ſuggerit, ſed etiam errorem, & dubietatem in cordibus Fidelium gignit.*

S. Petrus Damianus Opuſc. 2. contr. Jud.

Digitized by Google

DE CHRISTI ADVENTU,

EJUSQUE

DIVINITATE.

Propoſitio I.

ILLUD Joannis effatum : *ſcimus, quoniam Filius Dei venit . . . Hic eſt verus Deus, & vita æterna* (*a*) : nobiliſſimum erit noſtrarum Propoſitionum, argumentum, quod ita tractabimus, ut ex iis, quæ de eodem dicturi ſumus, momenta firmiſſima, quantum Inſtituti noſtri ratio patietur, veluti ſua ſponte fluant ad eos refellendos, atque oppugnandos, qui per hæc iniqua tempora variis errorum generibus in Chriſtianam Religionem debacchantur.

Ac principio ſtatim certamen nobis cum Judæis ineundum eſt : qui nondum adveniſſe Meſſiam præfracte contendunt. At pervicaces Judæos redarguunt luculentiſſime Teſtamenti Veteris, quod & ipſi divinitus datum fatentur, innumera propemodum Oracula, quæ Meſſiæ adventum jamdudum contigiſſe certo demonſtrant. Inter hæc celebre eſt illud Jacobi : *non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt ; & ipſe erit expectatio gentium* (*b*). Cum enim ibi prædicat Jacob, tunc Meſſiam venturum eſſe, cum ſceptrum a Juda ablatum fuerit, cumque ſceptrum iſtud jamdiu a Juda ablatum fuiſſe liquido conſtet, neceſſario ſequitur, Meſſiam jamdiu adveniſſe.

(a) 1. *cap.* 5. *v.* 20.
(b) *Gen.* 49. 10.

Digitized by Google

II.

In verbis illis interpretandis Oraculi Jacobæi: *de Juda*, *& Dux de ſemore ejus :* inter ſe diſcrepant Catholici ; licet, quævis interpretatio admittatur, adhuc argumentum, quod ipſi adverſus Judæos inde ſumunt, ſuo in robore permaneat. Nos Judæorum perfidiam multo facilius retuſam iri exiſtimamus, ſi verba illa intelligantur de Synedrii Principe, ſeu Æcmalotarcha, viro nempe civili poteſtate prædito, ac judicia, etiam capitalia (*c*) exercente, eoque ex femore Judæ progenito. Atque ita eadem intelligenda eſſe, minime dubitamus (*d*). Quem enim ex femore Judæ Regem, ac Dominatorem, regnantibus Haſmonæis, & Herode, inveniemus, niſi ſit ille Synedrii Æcmalotarcha, ſeu Naſcy?

III.

Celebre quoque eſt, & ad Judæos revincendos aptiſſimum Oraculum, quod legitur apud Danielem (*e*). Siquidem prædixit Daniel, *ab exitu ſermonis*, *ut iterum ædificetur Jeruſalem*, uſque ad Meſſiam præterlapſuros annos 490. (*f*) ſeu hebdomadas LXX. At certiſſimum eſt,

(c) Extat enim apud Joſephum Ben-Gorion *lib.* 5. *cap.* 4. & Joſephum Flavium *Antiquit. lib.* 14. *cap.* 9. Oratio R. Sameas Principis Synedrii, qui compulit Herodem cædis accuſatum ad dicendam cauſam coram Hircano.

(d) Daniel Huetius *Demonſt. Euang. Prop.* 9. ſententiam noſtram ob id cæteris eſſe infirmiorem affirmat, quod ex Rabbinorum commentationibus derivata ſit. Verum quis facile ſibi perſuadeat, concorditer Rabbinos omnes in ſui perniciem tam ſplendide fuiſſe mentitos? Quod apte obſervavit eruditus Theologus, idemque ſententiæ noſtræ propugnator Joannes Laurentius Berti *lib.* 25. *de Theol. Diſc.*

(e) *cap.* 9. *v.* 24. *& ſeqq.*

(f) Non alias a Daniele numerari hebdomadas, niſi annorum, omnes conſentiunt, quin immo fatentur cum Aben-Ezra vel ipſi Hebræi. Qui ergo

eſt, jam definitum illud annorum ſpatium præteriiſſe. Verus ergo Meſſias jam advenit.

IV.

Quemadmodum vero pro certo habendum eſt, LXX. annorum hebdomadas *ab exitu ſermonis* ſupputandas eſſe: ita an per hæc verba intelligatur revelatio Danieli facta, an Edictum Cyri, vel Darii, vel Artaxerſis, perincerta res eſt. Nos per illa verba intelligi arbitramur Edictum, quod de Urbe Jeruſalem reædificanda tulit Artaxerſes, non Memorioſus, ſed Longimanus, atque is non anno regni ſui ſeptimo, ſed viceſimo; ita ut dictarum hebdomadum initium ab eodem Edicto ſumendum ſit. Hæc enim ſententia & longe minoribus, ſi cum oppoſitis aliorum ſententiis conferatur, obnoxia eſt difficultatibus, & propugnatores habet Viros doctiſſimos tum Criticos, tum Chronologos (*g*).

V.

Jacobi, & Danielis Oracula illud pariter adverſus Judæos certo demonſtrant, nempe Chriſtum Jeſum, quem colimus, eſſe Meſſiam illum, quem iidem Prophetæ prænunciarunt. Suum enim in Chriſto πλήρωμα examuſſim illa habuerunt. Quin immo non ſecus atque alia Prophetica Oracula Chriſtum mere reſpiciunt, ad Eumque unum referuntur; ita ut ad quemlibet alium nulla quantumvis coacta, ac violenta interpretatione

 que-

go ipſius Oraculum interpretantur de hebdomadis ſæculorum, aut menſium, ut inter cæteros Auctor Operis, quod inſcribitur: *Examén de la Religion*: vel Jubilæorum, aut decenniorum, ut alii, deſerendi omnino ſunt.

(g) Hujuſmodi ſunt Uſſerius, Natalis Alexander, Huetius, Lamy, Bouges, aliique.

queant detorqueri (*h*). Hinc maxime improbanda Hugonis Grotii ſententia (*i*), qui Prophetarum de Chriſto Oracula ad unum omnia *primario*, & κατὰ λέξιν, ſeu *litteraliter* ferri in hiſtoriam temporum, queis edita ſunt, in Chriſtum vero *ſecundario* tantum, & κατὰ σχῆμα contendit (*j*).

VI.

(h) Mirum eſt, Joannem Marshamum, Virum cæteroquin eruditum, & Chronologum peritiſſimum in *Canon. Chron. Ægypt. ſæc.* 18. Danielis vaticinium Antiocho illi accommodaſſe, quem Sacra Jeroſolymorum profanaſſe, diſperſis Sacerdotibus, & interfecto Onia, narrat *liber* 1. *Machab. cap.* 1. Iſthæc enim adventum Chriſti præceſſerunt annos circiter 170. Præterea ea omnia, quæ in eodem vaticinio habentur, de ſolo Chriſto accipienda eſſe, adeo eſt perſpicuum, ut, qui id non videat, eum meridiana in luce cæcutire, neceſſe ſit.

(i) in *cap.* 7. *Matth.*

(j) Si Grotii ſententia aliqua tantum ſpectaret Prophetarum Oracula, non vero ad unum omnia, neutiquam foret improbanda. Extant enim alia, eaque multa, quæ *litteraliter* de aliquo illorum temporum, queis fuſa ſunt, *allegorice* vero de Chriſto intelliguntur; ita ut ille ſit *typus*, in quo adumbratus fuerit Chriſtus, veluti *antitypus*, ac veluti ſubjectum Oraculi ſublimius. Quin immo *typica* hæc. & *allegorica* Chriſti, ejuſque myſteriorum interpretatio in toto Veteri Teſtamento deprehenditur: quod egregie illuſtrat Paſchalius (*Penſées* 13.) exemplo *de le chifre*, quæ duos ſenſus habet. Cenſoriam quidem virgulam ob id in Paſchalium exercuit Volterius (*Lett. ſur les Penſées de M.r Paſcal n.* 15.) reponens, duobus ſenſibus Ethnicorum pariter Oracula ſubjecta fuiſſe. Ridicule tamen. Nam in Ethnicorum Oraculis ex duobus ſenſibus unus opponitur alteri, immo unus alterum excludit, quorum ſi unus ſit verus, alter falſus fiat, oportet. Unde iis inerat ridicula illa, ac vaferrima ἀμφιβολία, quæ a Luciano ipſo in ſuo *Jove Tragœdo*, nedum ab Ethnicis ſapientioribus, tantopere irridetur. Jam id de Propheticis Vaticiniis dici nullo modo poteſt, quæ duos eventus, ac duo ſubjecta, atque ambo vera, ac realia ſignificant, quorum unum poſt alterum debet exiſtere, unum inferius eſt, alterum ſublimius, *typus* unum, ſeu *figura*, atque arrha, alterum *antitypus*, atque adimpletio. Vid. *Ab. Gauchat Reponſe à la Critique de M.r Volt.* &c.

Incredulos Prophetarum Vaticiniis Ethnicorum Oracula objicere ſemper conſueviſſe, norunt omnes. Norunt etiam, circa iſtiuſmodi Oracula aliter ſenſiſſe Vandalium, ac Fontenellium, aliter P. Baltum. Nos arbitramur, ea magna ex parte a Sacerdotum fraudibus, atque artibus originem ſuam habuiſſe: prædictiones autem illas, quæ Dæmones in rerum futurarum ignorantia verſantes auctores habebant, maximam obſcuritatem, atque ἀμφιβολίαν præſetuliſſe planeque fallaces fuiſſe: quod nemo ſanus inficiari auſus fuerit. Non ergo Ethnicorum Oracula Prophetarum Vaticiniis comparari ullo pacto poſſunt.

Ne-

Digitized by Google

VI.

Minime autem ferendus idem Grotius, dum Socinianis ſenior factus heu nimium indulgens ſcribit, Propheticis Oraculis argumenti vim non quidem ineſſe, ſed ea adhiberi tantum *ad illuſtrandam*, *atque confirmandam rem jam creditam* (*k*). Etenim a primis uſque Eccleſiæ ſæculis Patres omnes, ut fidem Chriſto Jeſu conciliarent, argumentum ex Prophetarum Vaticiniis depromptum uſurparunt. Synodus pariter Conſtantinopolitana II. Theodorum Mopſueſtenum anathemate perculit cum ob alias cauſas, tum ob id, quod *Prophetias*, *quæ de Chriſto ſunt*, *rejiciens*, *feſtinaret Diſpenſationis pro noſtra ſalute myſterium*, *quantum ad ſe pertinebat*, *reprobare* (*l*).

Neque minus notum eſt, quod jamdiu demonſtrarunt Eruditi, Oraculorum ſcilicet apud Idololatras celebritatem paulo ante Chriſtum ceſſaſſe: quod factum iri in ſignum Meſſiæ proxime naſcituri prædixerat Zacharias *cap.* 13. *v.* 2.

(k) *Ibidem*.

(l) Grotium, ac Socinianos abunde refutarunt Huetius, Boſſuetius, P. Baltus, atque inter ipſos Proteſtantes Campeggius Vitringa, adductis Patrum teſtimoniis: quibus non pauca ex Novo Teſtamento addiderunt, ubi adhibitæ ſæpe adinveniuntur Prophetiæ non ad fovendam duntaxat fidem in Chriſtum jam animis hominum illapſam, ſed ad animos in ejuſdem fidei ſuſceptionem ſubigendos, ac devinciendos. Quanquam Grotius ipſius Grotii verbis refelli poteſt; cum alia alibi propugnet. Nam in Explanationibus prioris Epiſtolæ ad Corinthios ſcribit, *Prophetiam cæteris donis præferri ab Apoſtolo*, *quia maximam ea res præſtabat auctoritatem Euangelio*, *convincebat incredulos*, *firmabat credentes*. *Divinum enim*, inquit, *ab omnibus hominibus creditur eſſe prædictio*, *dicta ob id divinatio*. Ad id autem vi argumenti pollere Prophetiam, neceſſe eſt. Omittam, Virum doctum Veteris Teſtamenti Prophetiis, tanquam argumento firmiſſimo, ad Chriſtianæ Religionis Veritatem demonſtrandam uſum fuiſſe in Opuſculo vere aureo, quod ea ſuper re antea elucubrarat.

392

VII.

Quantopere Propheticorum Oraculorum vim conentur evertere Increduli recentiores (*m*) , vix dici poteſt: quæ tamen, cum veracia ea ſint, cumque eventus iiſdem plane reſpondeant , ut inter alios præcipue Huetius , Houttevillius , Bochartius , ac P. Baltus demonſtrarunt , a ſolo Deo proficiſci , dubitandum non eſt. *Annuntiate*, inquit Iſaias, *quæ ventura ſunt in futurum*, *& ſciemus*, *quia Dii eſtis vos* (*n*) .

VIII.

(*o*) Sunt ex Incredulis , qui Veteris Teſtamenti Pro-

(m) Cæterorum omnium audaciam excedit celebris Deiſta , Auctor ſcilicet Operis , cui titulus : *Examén de la Religion* : ubi inter alia , quæ ex Spinoza (*Tract. Theol. Polit. cap.* 2.) exſcripſit, hæc habet *cap.* 7. *L'entouſiaſme des Prophetes eſt tout humain* , *& tout ſemblable a celui des anciens payens* , *& des femmes tranſportees ſur le ſacré Trépied* . Nil vero ad retundendam Deiſtæ audaciam aptius, ac validius , quam id, quod ſcribit Paſchalius (*Pensées* 15.) *Quand un ſeul homme* , inquit ille , *auroit fait un livre des predictions de Jéſus-Chriſt pour le tems*, *& pour la maniere* , *& que Jéſus-Chriſt ſeroit venu conformement a ces Propheties* , *ce ſeroit une force infinie* . *Mais il y a bien plus içi* . *C' eſt une ſuit d' hommes durant quatre mille ans* , *qui cônſtamment*, *& ſans variation viennent l' un enſuite de l' autre predire ce meme avénement* . *C' eſt un peuple tout entier*, *qui l' annonce* , *& qui ſubſiſte pendant quatre mille années*, *pour rendre en corps temoignage des aſſurances* , *qu' ils en ont* , *& dont ils ne peuvent etre detournés par quelques menaces* , *& quelque perſecution* , *qu' on leur faſſe* . *Ceci eſt tout autrement conſiderable*.

Si ad invictiſſimam hanc Paſchalii argumentationem parumper attendiſſet Joannes Jacobus Rouſſeau, nequaquam *Emil. tom.* 3. ſcripſiſſet , tria ſibi neceſſaria eſſe , ut ad auctoritarem Prophetiarum agnoſcendam adducatur , *Savoir* , quemadmodum ipſe de ſe loquitur , *que j' euſſe eté temoin de la prophetie*, *que je fuſſe temoin de l' evenement* , *& qu' il me fut demoutré* , *que cet evenement n' a pu quadrer fortuitement avec la prophetie* .

(n) *cap.* 41. Recte Origenes (*l.* 6. *cont. Celſ.*) *Propria divinitatis nota eſt*, *res futuras ita prædicere*, *ut prædicendi ratio vires humanas ſuperet* , *& ex eventu judicetur* , *divinum ſpiritum eſſe prædictionis auctorem*.

(o) Ita inter cæteros ſe explicat non ſemel memoratus Deiſta *cap.* 7.

Prophetias ideo non admittunt, quod nebulis obtectæ, obſcuræ, & hiulcæ ſint (*p*). At immerito. Nam ſi perpetua orationis ſerie, & apertiſſimis verbis, nulla rerum aliarum permixtione confuſis, Chriſtum Prophetiæ prædixiſſent, jam utique non Prophetiæ eſſent, ſed hiſtoriæ. Præterea, ut fidei eſſet locus, non ſemper claras, & diſtinctas eſſe Prophetias oportuit (*q*). Non ſemper, inquam. Aliquot enim ex his (*r*), præſertim cum aliis aptæ, ac nexæ, atque eventibus comparatæ, ſatis clare eluceſcunt, ſi ſubobſcurum aliquid aut ex proprietate Hebraicæ Linguæ, aut ex Chronotaxi profectum excipias (*ſ*).

IX.

Cum Chriſtum Prophetarum Oraculis prænunciatum fuiſſe, atque hæc divinitus prodiiſſe, manifeſtum ſit; non eſt, cur Oraculis Sybillinis, quæ tam præclara de Meſſia prædicant, immoremur. Licet enim Sybillarum

 Car-

(p) Ex adverſo Porphyrius Danielis libro, ut nimium claro, ſermonis Prophetici notam auferebat; adeo ut illi Daniel videretur *non futura dixiſſe, ſed narraſſe præterita:* quemadmodum in Procem. Commentar. in Daniel. ſcribit S. Hieronymus. Id ipſum haud ita pridem ſtulte exiſtimavit in ſuo Opere, cui titulus: *Examên du Syſteme litteral de lo Prophetie*, Londini edito anno 1727. Antonius Collinſius. Eu quam variis Chriſtianæ Religionis hoſtes in eadem Religione oppugnanda incedant viis!

(q) Hac de re fuſe differit Daniel Huetius *Demonſt. Euang. Prop. 9. cap.* 171.

(r) Hujuſmodi præcipue ſunt Prophetiæ illæ duæ, quas ex *Gen. cap.* 49. & *Danielis cap.* 9. attulimus.

(ſ) Adhuc inſurgit idem Deiſta: *Si les prophêties avoient eté claires, les Juifs qui en ètoient les depoſitaires, ſe ſeroient ſans doute convertis, quand ils en auroient vû l'accompliſſement*. Verum quid impius Scriptor, qui quamvis Revelationem rejiciat, Religionem tamen Naturalem, ac proinde Dei exiſtentiam, unitatem, ac providentiam profiteri ſe jactat, quid, inquam, diceret, ſi rationes, quibus tria hæc invictiſſime demouſtrantur, aliquis ideo reſpueret, quod alioquin, ſi Dei exiſtentia, unitas, ac providentia invictiſſimis rationibus demonſtrari poſſent, nec Athei, nec Manichæi, nec Epicurei unquam extitiſſent?

Carmina a XV. Viris Romæ ſervata omnes fateantur, quæ tamen nunc extant, magna ex parte apparent poſt ætatem Apoſtolorum conſarcinata, proindeque jure optimo a doctiſſimis Criticis tum Proteſtantibus, tum Catholicis veluti ſpuria traducuntur (*t*).

X.

Hactenus & adveniſſe Meſſiam, & hunc eſſe Chriſtum Jeſum, quem colimus, adverſus Judæos demonſtravimus. Nunc ad ipſius Divinitatem oſtendendam, tuendamque deveniamus, oportet. Nimirum omnium graviſſima Diſputatio hæc: tum quia Chriſti Divinitas veluti cardo eſt, in quo tota vertitur Chriſtiana Religio, tum quia in eam profani homines hiſce præſertim temporibus irruunt toto impetu. Sociniani Ebioniticos, Arianoſque errores ab Eccleſia in Nicæno I. aliiſque Conciliis damnatos ab inferis revocarunt. Cum his ictum a Naturaliſtis, aliiſque peſtibus fœdus eſt. Utrique ergo a nobis profligandi ſunt, atque evertendi.

Et quoniam Sociniani Sacras Litteras aliqua ſaltem ratione venerantur, ad eaſque nos provocant, iis ferme innumera Novi præſertim Teſtamenti loca objicimus, quibus Chriſti Divinitas aut expreſſe aſſeritur, aut luculenter comprobatur, quorumque vim, ac robur Socinus, Crellius, Wolzogenius, aliique perverſis, ineptiſque interpretationibus elidere ſtuduerunt. Primi generis ea ſunt, quibus Chriſtus appellatur *Deus*, *verus Deus* &c. Secundi generis ſunt illa, quibus Chriſtus ſe *Filium Dei* nominat, aſſeritque, ſe unum cum Patre eſſe, atque omnia, quæ Patris ſunt, ſua quoque eſſe; quibuſque

(t) Oraculorum Sybillinorum Hiſtoriam contexit, ſimulque ad probatiores Critices regulas exigit D. Prideaux *Hiſtoir. des Juifs* &c. *tom.* 6.

que Chriſto tribuuntur ea, quæ ſolius Dei propria ſunt, ut exiſtendi neceſſitas, æternitas, omnipotentia, immenſitas, immutabilitas, &c.

XI.

Inter loca, quæ Chriſti Divinitatem mirifice oſtendunt, ea etiam cenſenda ſunt, quibus Chriſtus appellatur, ut ſupra dictum eſt, *Filius Dei*: utpote quæ de Filiatione æterna Verbi ſemper intellexerunt Eccleſiæ Patres, præſertim ii, qui hujuſmodi locis uſi ſunt, ut adverſus Arianos Chriſti Divinitatem, ejuſque cum Patre *conſubſtantialitatem* invicte demonſtrarent. Quare dum eadem loca de ſuppoſita quadam *Filiatione temporali, ob quam Humanitas Chriſti facta fuit in tempore Dei Filius*, intelligenda eſſe contendit Iſaacus Berruyer (*u*), a communi ſæculorum (*v*) omnium Traditione recedit, atque ita Catholicis quidem validiſſimum, quo ipſi Divinitatem Chriſti propugnant, eripere conatur

 argu-

(u) Hiſtoire du Peuple de Dieu 2. *part. tom.* 8. Nouvelle Defenſe, &c. a Nancy *pag.* 38.

(v) Ipſi pariter rationi Theologicæ contraria eſt Berruyerii doctrina. Vult enim, Humanitatem Chriſti ſpectatam *in recto, ac per ſe ipſam*, ut ipſe ait, eſſe verum, ac naturalem Dei Filium. Jam *Filiatio proprie convenit hypoſtaſi, vel perſonæ, non autem naturæ*, ut cum D. Thoma 3. *p. q.* 23. *a.* 4. loquuntur Theologi omnes. Adde, Chriſtum ex Berruyerio eſſe Filium Dei, *ut vox illa*, Deus, quemadmodum ipſe ſcribit, *ſupponit pro Deo Uno*, *& Vero ſubſiſtente in tribus Perſonis*, non ut ſupponit pro Deo Patre, prima Sanctiſſimæ Trinitatis Perſona. Fundamentum vero temporalis illius, quam excogitavit, Filiationis affirmat eſſe *generationem temporalem*, *ſive actionem Dei unius tranſeuntem*, *& liberam*, *qua Humanitas Chriſti primo conceptionis ſuæ inſtanti conjungitur phyſice Perſonæ uni divinæ in unitatem Perſonæ*. Hæc, atque alia errorum capita, ex quibus Berruyerii ſyſtema coaleſcit, quibuſque adnecti poteſt falſa, & erronea phyſicæ, & hypoſtaticæ unionis ab eodem tradita notio, quæ & Incarnationis myſterium evertit, & novam ſternit viam hæreſi Neſtorianæ, ac Felicianæ, diſerte refellit doctiſſimus Epiſcopus Sueſſionenſis Franciſcus de Fitzjames in ſua celebri Paſtorali Inſtructione adverſus Harduini, ac Berruyerii errores edita.

argumentum, Socinianis vero, iſtud Fidei dogma rejicientibus, patrocinium impendit ſuum, licet horum errores deteſtari ſe non ſemel profiteatur.

XII.

(x) Sociniani objiciunt nobis & ipſi non pauca Sacrarum Litterarum teſtimonia, ut harum auctoritate cauſam, quam tuentur, communiant. At incaſſum. Neque enim ea Catholico Dogmati de Divinitate Chriſti, ejuſque cum Patre *conſubſtantialitate* vel tantillum quidem officiunt, ut ex inſtituto demonſtrarunt accuratiſſimi Theologi.

XIII.

Univerſam, ac perennem pro Chriſti Divinitate Traditionem adverſus Socinianos in medium afferre, ſupervacaneum prorſus exiſtimamus: tum quia hanc a nobis ſtare fatetur Socinus, dum ſcribit (y) *tot viros non minus doctrina, quam pietate clariſſimos, tot Chriſti ſanctiſſimos Martyres, adeo ut nullus ſit numerus, eum alioqui graviſſimum errorem ſecutos fuiſſe, quod Chriſtus ſit unus ille Deus, qui omnia creavit, aut certe ex illius ſubſtantia genitus*: tum quia eandem flocci facit, quaſi haud aliter, ac Homericus ille Tyreſias apud inferos, ſolus ſapiat, cæteri autem vagentur umbrarum more. Ut tamen Socinum quaquaverſus urgeamus, prius id, quod ipſe lubens dat, arripimus, deinde *ſufficere* aſſerimus

(x) Quæ ex Scripturis adverſus Catholicum dogma depromi poſſunt momenta, ea fuſe præ cæteris perſecutus eſt Crellius in ſuis *de uno Deo Patre* libris. At Ebionitam fruſtra adlaboraſſe, ſatis ſuperque evincit doctiſſimus Petavius *lib. 3. de Trin. cap.* 1. 2. *& ſeqq.*

(y) *Epiſt. 3. ad Radecium.*

mus *ad noſtri ſermonis demonſtrationem, quod habeamus a Patribus venientem ad nos Traditionem, velut hæreditatem quandam per ſucceſſionem ex Apoſtolis per Sanctos ſequentes tranſmiſſam*, quemadmodum loquitur S. Gregorius Nyſſenus (z).

XIV.

Porro cum maximi facienda eſt iſtiuſmodi Traditio, tum in primis Chriſtianorum Martyrum teſtimonium, quod ſuis omnibus (*a*) notis affectum nonniſi a præpotente Deo teſtes ſuos adjuvante proficiſci potuiſſe, inde certo conficitur, quod nullæ excogitari poſſint naturales cauſæ (*b*), quæ rem tantam efficere de ſe ſo-

 læ

(z) *Orat. 3. contra Eunomium.*

(a) Nam, ut verbis utamur Joannis Hooke (*Relig. Nat. & Revel. Princip. tom. 2. part. 2. art. 3.*) *illa fortitudo Chriſtianorum non brevis aliquis furor, & momentaneus fuit, ſed placida, & quieta firmitas animi per trecentos annos ſemper æqualis, atque conſtans: non in paucis aliquibus, quos natura fortes, & conſtantes effecerat, emicuit, ſed in infinita multitudine hominum cujuſcumque ætatis, ac conditionis,* &c. *erat eadem illa fortitudo non mediocris aliqua animi firmitas, ſed ſumma, & incredibilis, quam exquiſitiſſima tormenta non ſolum non vincebant, verum etiam ne commovebant quidem.* Quæ profecto nemo in dubium revocabit, niſi putidum Pyrrhoniſmum ſectari forte velit; præſertim poſtquam illa vel intemperantiorum Criticorum cenſuras tam feliciter evaſerunt. Conſulantur potiſſimum Acta Martyrum a Ruinartio conſcripta, ac in primis Præfatio, quam eruditus Auctor iiſdem Actis præmittit.

(b) Naturales hujuſmodi cauſas non paucas excogitavit ſuarum Differtation. Cyprianicarum Diſſ. XII. Henricus Dodwellus, qui tamen & ipſe, licet in Proteſtantium Schola altus, atque edoctus, tandem concludit, eaſdem ingenti prodigio exerendo de ſe ſolas impares fuiſſe, proindeque ſuperna auxilia, & operationes Dei oportuiſſe, a quibus ſupra naturæ infirmæ vires Martyres eveherentur, inque acerbiſſimis, diuturniſque conſtanti animo perferendis cruciatibus ſuſtinerentur. Naturalibus cauſis a Dodwello excogitatis aliam ſuo, ac cæterorum Libertinorum nomine addidit Auctor Operis, cujus non ſemel mentionem fecimus, quodque inſcribitur: *Examén de la Religion:* ubi *cap. 6.* hæc leguntur: *L'imagination échauffée eſt la cauſe du Martyre: pour en convenir, il n'y a qu'à faire attention, qu'il n'y à point eu encore de Religion, qui n'ait eu ſes Martyrs.* Verum quis, cui cor ſapit, hominis in ſcribendo licentiam non horreat? *Nam*, ut loquitur idem Hooke

(*ibi-*

læ aptæ fuerint. Atque hoc quidem argumento non modo premuntur Sociniani, verum etiam Phyſiothei ipſi, ſeu Naturaliſtæ.

XV.

Aliud tamen acerrimum, quod in Naturaliſtas conjicimus, telum eſt id, quod a nobis deſumitur ex miraculis, quæ Chriſtus, dum viveret, ut ſuam, ac poſtea Apoſtoli, virtute a Chriſto accepta, ut ipſius Divinitatem confirmarent, perpetrarunt. Nam & patrare miracula vi propria, atque aliis eadem patrandi facultatem facere ſoli Deo conveniens eſſe, tam certum eſt, quam quod maxime. Si hæc enim ab alio, quam a Deo, aut ſine ejus imperio patrari ab aliquo poſſent, is haberet rerum humanarum adminiſtrationem, ac naturæ dominaretur, quod tamen ſolius Dei proprium eſt: quippe qui ſolus Naturæ Leges pro ſuo beneplacito mutare poteſt, aut ſuſpendere. Jam in harum Naturæ Le-

(*ibidem*) *ſi aliquando contigerit, ut homines fanatico abrepti furore extrema tolleraverint, cito illa febris ſedata eſt; neque unquam factum, ut ille fanaticus furor poſt vitam priorum fanaticorum propagatus fuerit, non dico per trecentos annos, ſed ad proximos eorum diſcipulos. Demus etiam, quandoque accidiſſe, ut homines pauci numero, imaginandi magna vi præditi, in fanaticum furorem incidentes, pro abſurdiſſimis opinionibus vitam profuderint; certe ille furor nunquam invaſit ſimul, & eodem tempore homines lingua, moribus, Religionibus a ſe invicem maxime diviſos. Si denique experti ſumus homines aliquos naturali quadam fortitudine præditos mortem minime timere; nunquam tamen accidit, ut illi exquiſitiſſima, & diuturniora tormenta, qualia Martyres tolerarunt, ſedato, & tranquillo animo omnino ſpernerent, darent quoque lætitiæ indicia*, &c. Præterea, ut poſt alia ſubdit Sorbonicus Doctor, *illum furorem, cujus adeo mirabiles effectus prædicantur, non ſatis definiunt adverſarii, & in eorum ore vana videtur vox ſine ulla vi, & poteſtate ad fucum faciendum*.

Quod vero ſpectat ad omnium Religionum Martyres, quos nobis obtrudunt Libertini, eccur hi tandem aliquem illorum Martyrologium non contexunt? Petrus quidem Bælyus (*Penſées diverſes*) de Vanini morte multa jactaverat, eumque idcirco Atheiſmi Martyris nomine donaverat; at poſtea (*Entretiens de Maxime, & de Themiſte*) Jaquelotio conceſſit, Vanini Martyrium evanuiſſe, ac longe aliter ſe rem habuiſſe.

Legum mutatione, aut ſuſpenſione miraculi vim poſitam eſſe, nemo eſt, qui ignoret.

XVI.

Falſum enim eſt ſyſtema Spinoziſtarum, qui, ut miraculum quodlibet proprie dictum veluti quid ἀδύνατον de medio tollant, ferream inducentes neceſſitatem, negant, contra naturæ leges quidquam revera fieri, aut fieri poſſe, ea præcipue ratione ducti, quod *naturæ leges*, ut loquitur Spinoza (*c*), *ſint decreta divina ex neceſſitate, & perfectione divinæ naturæ profluentia; adeoque ſi quid contra ageret, quod repugnaret his legibus, repugnaret Dei naturæ, aut ſi operaretur contra has leges, contra ſuam naturam ageret*. Falſum, inquam. Licet enim Deus facere non poſſit contra Summam Legem, quæ eſt eadem cum ipſius Decretis, iiſque non neceſſariis, ut ſomniant Spinoziſtæ, ſed liberrimis; tamen contra ſolitum naturæ curſum, quem iidem, ut incautos fallant, cum divinis Decretis confundunt, facere poteſt. Jam Deus contra eum curſum *non facit mutabili voluntate. Nam ab æterno prævidit, & voluit facere, quod in tempore facit. Sic ergo inſtituit naturæ curſum, ut tamen præordinaretur in æterna ſua voluntate, quod præter curſum iſtum quandoque facturus erat*. Ita D. Thomas (*d*).

XVII.

(c) *Tract. Theol. Polit. cap. 5.*

(d) *De Potent. q. 6. a. 1.* Eandem doctrinam miro ingenii acumine, quo vel in reconditis, ſublimioribuſque argumentis pertractandis utebatur, quod Wolfio pariter viſum fuit, diſertius tradit Angelicus Doctor 1. *p. q. 105. a. 6.* & *lib. 3. contr. Gentes cap. 98.*

Quamquam, vel ipſo Petro Bælyo judice, *la Diſpute des Spinoziſtes ſur les miracles n' eſt qu' un jeu de mots:* quandoquidem in eorum ſyſtemate locum habere minime poteſt. Vid. *Articl. Spinoz. Remar.* R.

Dei

XVII.

Porro Chriſtum, dum viveret, ut ſuam, ac poſtea Apoſtolos, ut ipſius Divinitatem, ac legitimam miſſionem confirmarent, miracula, eaque plerumque non clam, & paucis teſtibus, ſed in aperta luce, & coram magna hominum multitudine patraſſe, ex eo manifeſtum eſt, quod eadem memoriæ prodiderint Scriptores bonæ fidei, qui vanitatis ſuſpicioni obnoxii eſſe non poſſunt, & quorum fides non modo certior eſt, quam alterius cujuſcumque Scriptoris, ſed & confirmatur iis omnibus notis, quibus omnino poſſit confirmari (*e*).

XVIII.

Quid quod Chriſti miraculis fidem adhibuerunt Viri Sapientiſſimi, quos incredibile eſt vulgi rumoribus fuiſſe deceptos, cum & doctrina fuerint exculti, & aliarum

Dei immutabilitatem cum miraculis ſtrictius conciliare ſibi proponens Ab. Hourtevillius, ut inde validius Spinozam, ejuſque aſſeclas urgeret, aſſeruit (*Religion Chrétienne prouvée par les faits liv.* 1. *chap.* 6.) miracula involvi *à titre d'effets dans le plan des Loix univerſelles*. Ait: *des Loix univerſelles ;* quoniam juxta *ſimplicitatis* principia ab ipſo poſita Deus *ne doit pas employer des volontés particulieres, & de détail, quand les volontés generales ſuffiſent à la production de ce qu' il veut faire*. Sic ergo ſtatuit: *en donnant* (*Dieu*) *à la matiere le degré juſte de mouvement, qu' elle devoit avoir dans tous les ſiecles, on conçoit, que Dieu a pû déterminer de telle ſorte la loy des communications, qu' en tel tems, par exemple, le monde a dû voir telle gueriſon, telle eclipſe, telle réſurrection*. Hourtevillii ſyſtema certis principiis minime inniti, & cauſæ, quam ipſe adverſus Spinoziſtas propugnat, detrimentum potius, quam utilitatem afferre, demonſtratione confecit Clariſſimus Vir P. Antoninus Valſecchi. (*Lib.* 2. *Dei Fondamenti della Religione*, &c. *cap.* 16.) Nos id unum animadvertemus, ſcilicet ipſum quoque Malebrankium cauſas univerſales, ac ſimplices acriter propugnaſſe, nec tamen miracula harum cauſarum effectus unquam exiſtimaſſe. Vid. Malebrank. *Serm.* 1. *De la Natur. e de la Grat. art.* 59.

(e) Fuſa, & exemplis confirmata oratione opus hic eſſet. Legi poſſunt Abbadie, Douguet, aliique.

rum Religionum præjudiciis abrepti , ut Sergius Cypri Præſes , Dionyſius Areopagita , Juſtinus Philoſophus, Athenagoras pariter Philoſophus , aliique (*f*) permulti ? Ipſe Joſephus Flavius , Judæus licet , præclarum Chriſti miraculis reddidit (*g*) teſtimonium : quod autographum cenſendum eſſe , non ſuppoſitum , atque inſertum fidenter pronunciamus . Illud enim ex vetuſtis, nec interpolatis MSS. exceperunt Patres , & Hiſtorici celeberrimi , perpetuaque Traditione probarunt omnes (*h*) uſque ad Hubertum Gifanium , & Lucam Oſiandrum , qui duo omnium primi Sæculo XVI. Teſtimonii Flaviani veritatem evertere , adeoque Chriſtianæ Religioni inſigne monumentum eripere conati ſunt . Præterea ſuppoſitionis notæ, quas Oſiander, Blondellus, Snellius , aliique plus æquo moroſi Critici attulerunt, nullius ſunt roboris, ac firmamenti (*i*).

XIX.

(f) Judæi etiam in Thalmud fatentur , Chriſtum fuiſſe rerum mirabilium effectorem, ut probat Huetius *Demonſt. Euang. Prop. 9. cap.* 2. Ethnici ipſi Chriſti miracula videntur agnoviſſe . Nam Tertullianus *in Apolog.* & Euſebius Cæſarienſis *lib.* 2. *Hiſt. Eccl.* ſcribunt , De Chriſti Apotheoſi apud Senatum egiſſe Tiberium , præcipue Pilati Actis de eodem Chriſto inſignia nuntiantibus permotum : quorum Actorum germanitatem adverſus intemperantes Criticos vindicant Petavius , Pearſonus , Serry , aliique . Adrianum erigendis Chriſto templis adjeciſſe animum , teſtatur Lampridius . Julianus Apoſtata Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus apud Cyrillum *lib.* 6. *contr. eundem Julian.* non negat, claudos , & cæcos a Chriſto ſanatos fuiſſe, liberatos quoque nonnullos a Dæmone correptos . Demum & a Mahumetanis multa Chriſto tribui miracula, colligitur ex Alcoran. *cap.* 2.

(g) *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 4.

(h) Demonſtravit id Carolus Daubuz *lib.* 1. Operis de hoc argumento exornati.

(i) Spartam hanc recens adornavit P. Honoratus a S. Maria in ſuis Animadverſionibus in Regulas, & uſum Critices *lib.* 5. *Diſſ.* 7. *art.* 3.

XIX.

Ergo de Chriſti miraculis vel ambigere , delirantis hominis eſt . Neque minus delirantis eſt id , quod in teterrimis illis *ſermonibus* , qui tot in Anglia tumultus cierunt , effutiit Thomas Wolſtonus , omnia ſcilicet Chriſti miracula *allegorica* fuiſſe , eorumque narrationem , quam nobis exhibent Euangeliſtæ , non κατὰ λέξιν , ſed κατὰ σχῆμα , ideſt *myſtice* tantum , & per *figuram* quandam intelligenda eſſe (*j*) . Numquid enim ea miracula *allegorica* , ſeu *myſtica* dicenda erunt , non autem vera , ad quæ Chriſtus eorum auctor Judæos, immo Judæorum ſenſus toties provocavit , ut inde ad ejus Divinitatem , ac legitimam miſſionem agnoſcendam adducerentur , quibuſque adducti plerique eandem revera agnoverunt (*k*)?

XX.

(j) Abutitur Wolſtonus auctoritate Philonis , veterumque nonnullorum Patrum, ac præcipue Origenis, qui in Scripturis interpretandis multum operis, ac laboris in ſenſum allegoricum inquirendum contulerunt . Dum enim ii allegorias inquirebant, τὸ ῥητὸν, ideſt ſenſum *litteralem* , ac *primarium* minime denegabant : quin immo omnes aut aperte indigitant , aut non obſcure ſupponunt . Inter hos Origenes allegoriis , ut notum eſt , nimium addictus non ſolum eos, qui *litteram* negligunt , ac tantum *myſtico* ſenſui ſe totos dedunt, reprehendit, quod Philo pariter præſtitit, (*De migration. Abraham.*) verum etiam diſputans contra Celſum (*lib.* 1. & 2.) ad Chriſti Divinitatem , veritatemque Chriſtianæ Religionis confirmandam in medium affert *demonſtrationem ſpiritus*, *&* *potentiæ*, ideſt prophetias, Chriſtique, ejuſque Diſcipulorum miracula : quod hypotheſim Wolſtonianam omnino evertit. Vid. Huetium *Origenian. lib.* 2. *quæſt.* 13. Wolſtonum , ejuſque adverſus *litteralem* , & hiſtoricum miraculorum Euangelicorum ſenſum deliramenta minutatim reſutarunt in ſua prima Paſtorali Epiſtola (*traduit de l' Anglois par Abraham le Moine . A la Haye* 1732.) Londinenſis Epiſcopus Edmundus Gibſon, ac in Collectione , quam eo præſertim conſilio elaboravit , ut ſenſum *litteralem* Scripturarum tueretur (*Le ſens litteral de l' Ecriture Saint tom.* 1. *chap.* 8.) Thomas Stackhonſius .

(k) *Renuntiate Joanni*, inquit Chriſtus, *Luc. cap.* 7. *v.* 22. *quæ audiſtis, & vidiſtis : quia cæci vident , claudi ambulant , leproſi mundantur , ſurdi audiunt ,*

Digitized by Google

XX.

Ergo Chriſtus veris, ſenſibilibuſque miraculis Divinitatem confirmavit ſuam. Miraculum tamen, quod cæterorum omnium veluti faſtigium, atque apex cenſeri debet, ipſius eſt ad vitam regreſſus. Nimirum iſtiuſmodi *factum* aut negare, aut etiam in dubium revocare, piaculum foret; tum quia habet omnes illius certitudinis notas, qua nulla major optari poſſit; tum quia falſum, & commentitium traduci nequit, quin abſurda per-

diunt, mortui reſurgunt. Eadem paſſim legere eſt apud Matthæum, Joannem, &c. Nihilo tamen minus Joannes Jacobus Rouſſeau (*Lettres ecrites de la Montagne lettr.* 3.) ita ſcribere paucis abhinc annis veritus non fuit: *il reſte prouvé par le temoignage de Jeſus même, que, s' il a fait des miracles durant ſa vie, il n' en a point fait en ſigne de ſa miſſion*. Ibidem hoc principium ſtatuit, quod Atheis, ac Naturaliſtis commune eſt: *les miracles ne ſont pas un ſigne infaillible, & dont les hommes puiſſent juger*. Id autem ex eo probat, quod cum miraculum ſit, ut ipſe loquitur, *une exception aux loix de la nature, pour en juger, il faut connoître ces-Loix, & pour en juger ſurement, il faut les connoître toutes*. Deinceps ſubdit: *tout ce qu' on peut dire de celui qui ſe vante de faire des miracles, eſt qu' il fait des choſes fort extraordinaires*. Jam ut quis faciat *des choſes fort extraordinaires*, ei ſufficere affirmat, ut Phyſicam, & Chymicam non omnino ignoret. Ex his ita concludit: *Jeſus, éclairé de l' eſprit de Dieu, avoit des lumiéres ſi ſuperieures a celles de ſes diſciples, qu' il n' eſt pas étonnant, qu' il ait operè des multitudes des choſes extraordinaires, ou l' ignorance des ſpectateurs a vû le prodige, qui n' y étoit pas*. En paucis miraculorum ſyſtema a Genevæ Philoſopho traditum: quod expoſuiſſe, refutaſſe eſt. Nam ad miracula dijudicanda ſatis eſt naturæ curſum, ſeu præcipuas leges, quibus mundi machina regitur, & in quarum mutatione, vel ſuſpenſione miraculi vis ſita eſt, dignoſcere. Jam cum eæ manifeſtæ ſint, & ob omnium oculos poſitæ, profecto, etiam inconſulto Newtono, a quolibet dignoſci poſſunt. Non ergo ad certum de miraculis judicium ferendum omnium Naturæ virium menſuram compertam habere, quod nemini Philoſophorum datum fuit, neceſſe eſt. Ipſa præterea miraculorum Chriſti mira varietas, ac multitudo, effectus haud fugaces, ac modus, quo ea peracta fuerunt, nullum de eorundem veritate, ac certitudine dubitandi locum relinquunt. Genevenſis Philoſophi ſyſtema pluribus refutarunt D. Bergier (*Le Deiſme*, &c.) & Clariſſimus P. Valſecchi. (*Appendice al cap. 16. lib. 2. Dei Fondamenti della Religione*, &c.)

permulta, atque *ἀδύνατα* pro arbitrio ſupponantur (*l*). Dum igitur memoratus Wolſtonus (*m*), aliique Naturaliſtæ de eo aliter ſcriptitarunt, ſplendidiſſimæ luci tenebras objecerunt (*n*).

XXI.

Numquid vero a Dæmone, non a Deo, proficiſci potuerunt miracula illa, quæ in teſtimonium Divinitatis Chriſti, ejuſque legitimæ miſſionis tum a Chriſto ipſo, tum ab Apoſtolis patrata fuerunt? Ita nempe dictitant ii omnes, qui divinam Chriſti miſſionem agnoſcere detrectantes, argumento ad eam demonſtrandam e miraculis eruto non acquieſcunt, quique proinde ut Religionem a Chriſto inſtitutam, ac doctrinam ab ipſo traditam confidentius explodant, etiam a cæteris Religionibus miracula exquirere minime prætermittunt. Quibus nos tutius, ac validius obviam ituros exiſtimamus, ſi ſtatuamus, Deum ſolum ob ſapientiſſimos fines cauſarum naturalium ordinem per ſe ipſum, aut miniſterium Angelorum intervertere: Dæmonum, quæcumque ipſorum naturalis vis ſit, nullam eſſe licentiam (*o*), ac ubi ii ſe immiſcent humanis rebus, divinorum

(l) Ad hæc Chriſti reſurrectio eſt veluti nexus infinitorum propemodum eventuum ipſam præcedentium, & ſubſequentium: cujuſmodi ſunt Prophetiæ Chriſti prænuntiæ, ipſius Chriſti Vaticinia, innumera divinæ ejus virtutis argumenta, &c. Jam horum nulla ratio reddi poteſt, niſi ejuſdem Chriſti reſurrectionis veritate ſuppoſita.

(m) *Sermon.* 6.

(n) *Factum* hoc clariſſima, eaque firmiſſima methodo demonſtrarunt Dittonus (*La Relig. Chrétien demont. par la Réſur.*) ac Moenius. (*Les temoins de la Réſurrection de J. C. examinez, & jugez*, &c.)

(o) Circa vim, ac potentiam Dæmonum in varias ſententias pro ſuo quiſque ingenio abeunt Recentiores. Nam Jacobus Serces (*Traitè des miracles*) diſerte negat, ſpiritus homine ſuperiores ulla præditos eſſe poteſtate eden-

rum judiciorum miniſtros eſſe, nec ſuo arbitrio relinqui, neque unquam per eorum miniſterium in confirmationem falſæ, aut impiæ doctrinæ vera miracula patrari (*p*). Jam hæc quidni ſtatuamus, cum ea Dei pro-

edendi prodigia, & omnia, quæ feruntur, Dæmonum mirabilia veteratorum fraudi, & artibus refert accepta: quæ ſententia & pugnat cum Scripturis, quæ narrant prodigia a Magis Pharaonis, & a Samuelis Pythoniſſa edita, & cum ſæculorum omnium fide conciliari minime poteſt. E contra Samuel Clarkius (*Traités de l'exiſtence*, &c. *tom.* 3.) & qui Clarkium ſecuti ſunt, nimium facultatis, ac potentiæ accenſent malis Angelis. Nos medio tramite incedimus, adhæremuſque Proſpero de Lambertinis, poſtea Benedicto XIV. (*De Servor. Dei Beatific. & Beator. Canoniz. lib.* 4. *p.* 1. *cap.* 3.) Joanni Hooke (*Relig. Natur. & Revel. Princ. tom.* 2. *Differt. de Mirac.*) & Clariſſimo P. Valſecchi. (*Dei Fondamenti della Relig. tom.* 2. *cap.* 16.) His viam præmonſtravit Angelicus Doctor D. Thomas 1. *p. q.* 114. *a.* 4. & in *quæſt. Diſput. q.* 6. *de miraculis a.* 5. D. Thomæ prælufit Summus Vir Auguſtinus, cujus hæc ſunt verba *lib.* 3. *de Trin. Nec ideo putandum eſt, iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſervire hanc viſibilium rerum materiam; ſed Deo potius, a quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi, & ſpirituali ſede incommutabilis judicat*. Quis Dei providentiam, ac ſapientiam non admiretur?

(p) Neque enim Deus poteſt permittere, ut a Dæmone in confirmationem falſæ, aut impiæ doctrinæ vera patrentur miracula, quin ipſe aut hominum erroris cauſa ſit, ſi ſuum conſenſum adjiciant, aut veritatis externis ſignis teſtandæ viam ſibi eripiat (nihil enim ex communi omnium ſenſu ad veritatem teſtandam miraculis efficacius) ſi prudenter diſſentiant: quod utrumque in Deum, utpote optimum, ac veraciſſimum, cadere minime poteſt. Non ergo Dei opera cenſenda ſunt prodigia, quæ ad falſam, aut impiam doctrinam confirmandam edita ſunt. Ex adverſo cum ex veritatis, ac ſanctitatis notis, quibus doctrina aliqua prædita eſt, certo colligatur, ex Deo, Veritatis, ac Sanctitatis fonte, eſſe miracula, quæ eandem confirmant, ac proinde a Dæmone ea eſſe non poſſint, qui tantummodo erroris, & impietatis auctor eſt; neceſſario ſequitur, divina fuiſſe miracula illa, quæ in Chriſtianæ Doctrinæ confirmationem a Chriſto, & Apoſtolis edita fuerunt; quandoquidem hac doctrina nihil verius, nihil ſanctius, ut illius tum veteres, tum recentiores Apologiſtæ data opera demonſtrarunt. Apte in hanc rem Paſchalius: *il faut juger de la doctrine par les miracles: il faut juger des miracles par la doctrine. La doctrine diſcerne les miracles: & les miracles diſcernent la doctrine. Tout cela eſt vrai.* (*Penſées* 27.) Quod ſi urgeant Libertini ea Doctrinæ Chriſtianæ capita, quæ myſteria dicuntur, ut ſunt miſſio divina, ac cætera Chriſti attributa, reponendum erit, miracula ad ea confirmanda a Chriſto, ejuſque Diſcipulis patrata adeo ingentia fuiſſe, ac ſublimia, ut ipſa de ſe ſola divinam illam originem prodant, a qua proficiſcuntur, ac proinde de ſe ſola eorundem myſteriorum veritatem, ac divinitatem demonſtrent. Ad miracula, quæ patraverat, non ſemel provocavit Chri-

Digitized by Google

providentiæ, ſapientiæ, bonitati, ac veracitati apprime conſentanea ſint?

XXII.

Ex iis, quæ diximus tum adverſus Socinianos, tum adverſus Socinianos ſimul, ac Naturaliſtas, neceſſario conſequitur, Chriſtum verum Deum eſſe; atque eo magis conſequitur, quod futilia, ac ridicula omnino ſint ſophiſmata, quæ ad ipſius Divinitatem oppugnandam utri-

Chriſtus, ut ſe a Deo veniſſe oſtenderet. (Vide ſuperius *Notam* (k) *ad Prop. XIX.*) Unde idem Paſchalius: *Jéſus-Chriſt a prouvé, qu'il etoit le Meſſie, en verifiant plutot ſa doctrine, & ſa Miſſion par les miracles, que par l' Ecriture, & par les Propheties. C'eſt par les miracles, que Nicodeme reconnoit, que ſa doctrine eſt de Dieu:* „ Scimus, quia a Deo veniſti Magiſter; nemo „ enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. „ *Il ne juge par des miracles par la doctrine; mais de la doctrine par les miracles.* (*Ibidem.*) Quare Sacra Facultas Pariſienſis Propoſitionem hanc cenſuris affecit, quam noviſſimis temporibus aſſeruit Abbas de Prades: *ergo omnes morborum curationes a Chriſto peractæ, ſi ſeorſim ſumantur a Prophetiis, quæ in eas aliquid divini refundunt, æquivoca ſunt miracula, utpote illarum haberent vultum, & habitum in aliquibus curationes ab Æſculapio factæ. Ex ſe nullam habent miracula germanitatem cum doctrina.*

Cæterum quod ſpectat ad curationes ab Æſculapio peractas, ut & ad cætera, quæ ab Apollonio Tyaneo, Hadriano, Veſpaſiano, aliiſque Gentilibus edita feruntur, prodigia, quis dubitet ea omnia ad nugas, ac fabulas amandanda eſſe, ut vel ex ipſorum Ethnicorum Scriptorum teſtimoniis probant Critici doctiores? Libertinum ergo hominem, qui ea nobis obtrudit, Chriſti autem miracula præfracte rejicit, quæ narrant Euangeliſtæ, iis verbis compellare liceat, quibus Origenes Celſum compellavit (*lib. 3. cont. eund.*) qui admittere videbatur prodigia, quæ de Ariſtæa Proconneſio referunt Herodotus, ac Pindarus, miracula vero, quæ de Chriſto narrant Euangeliſtæ denegabat: *Tu qui omnino figmenta eſſe putas, quæ de Jeſu miraculis Diſcipuli litteris conſignarunt, & incuſas eos, qui illis adjungunt fidem, quomodo res hujuſmodi prodigioſe confictas, fabulaſque eſſe non judicas?* Vid. eundem Origenem *ibid.* Quanquam etiamſi Libertino concedatur, nonnihil ſolidi aliqua ſaltem Gentilium prodigia habuiſſe, quid inde utilitatis in eum redundat, aut quid detrimenti infertur vi illi, qua pollent miracula Euangelica? Quæ tribuuntur tam mira Apollonio, Veſpaſiano, aliiſque, ea tendunt omnia ad fovendam idololatriam, in cujus ſinu edita fuerunt; ac propterea non in veritatis fontem, nempe Deum, ſed in mendacii auctorem, ſcilicet Dæmonem, refundi debent.

utrique junctis viribus congeſſerunt. Horum vis omnis in eo præcipue ſita eſt, quod Chriſti Divinitas myſterium ſit humanæ, ut ipſi blaterant, rationi evidenter contrarium; atque in hoc triumphant potiſſimum Bælyus (*q*) ac Rouſſeau (*r*), qui id ipſum & de cæteris Chriſtianæ Religionis myſteriis impudenter decernunt. Nos fatemur quidem, myſterium illud ſupra humanam rationem poſitum eſſe, adeoque ab ea comprehendi non poſſe, nec eo progredimur, quo progredi non ſinit divina Revelatio, a qua myſteria, quæ profitemur, edocti ſumus, at eidem rationi ullatenus (*ſ*) contrarium eſſe ideo inficiamur, quod ulli abſurditati, aut contradictioni obnoxium demonſtrari nullo pacto poſſit.

XXIII.

(q) *Articl. Pyrrhon. Remar.*
(r) *Emil. tom. 3. Lettr. a M.r de Beaumont.*
(ſ) Bælyus (*Réponſ. aux queſt. d'un Provinc. chap.* 159.) ex eo, quod Chriſtiana Religio aliqua contineat ſupra rationem omnino poſita, eandem infert continere aliqua, quæ eidem rationi contraria omnino ſunt: quippe qui diſtinctionem inter aliquid *ratione ſuperius*, & inter aliquid *rationi contrarium* plane aeream, & commentitiam eſſe contendit. Falſo tamen, & inepte. Quot enim etiam in Religione Naturali, quin immo in rebus Phyſicis, & Mathematicis non adinveniuntur, quæ humanæ rationis captum ſuperant, ſed quæ tamen rationi contraria nemo ex Philoſophis dixerit? Bælyum recta impugnarunt primum Clericus, & Jaquelotius, ac deinde, & quidem aptius, Leibnitius (*Diſcours de la conformité de la Foi avec la raiſon*) qui tamen nihil ferme hac in re præclarum ediſſerit, quod multo antea non arripuerit D. Thomas *lib.* 1. *cont. Gentes cap.* 7. ubi invictiſſime probat, dari non poſſe divinam Revelationem, quæ Rationi repugnet. Sane, ut verbis utamur Archiepiſcopi Pariſienſis Chriſtophori de Beaumont (*Mandement contre Rouſſeau.*) *Le Dieu de la Raiſon eſt auſſi le Dieu de la Révélation. La Raiſon, & la Révélation ſont les deux organes, par les quels il lui a plû de ſe faire entendre aux hommes, ſoit pour les inſtruire de la verité, ſoit pour leur intimer ſes ordres. Si l'un de ces deux organes étoit opposé a l'autre, il eſt conſtant que Dieu ſeroit en contradiction avec lui même.* Idem Angelicus Doctor *lib.* 4. *contr. Gentes* egregie oſtendit, in myſterii Dominicæ Incarnationis Œconomia nihil occurrere, quod Deo dignum non ſit. Non pauca in hanc rem, eaque Catholico Viro digna legere eſt vel penes Anglum Philoſophum Samuelem Clarkium (*Traités de l'Exiſtence, &c. t.* 3.)

Digitized by Google

XXIII.

Parum eſt, adverſus Socinianos, ac Naturaliſtas omni argumentorum genere demonſtraſſe, Chriſtum verum Deum eſſe, niſi una demonſtremus, Chriſti Divinitatem inter præcipuos Fidei articulos, & ſaluti neceſſarios recenſendam eſſe, adeo ut citra æternæ vitæ, quam idem Chriſtus nobis promeruit, jacturam non ſolum negari, ſed etiam ignorari non poſſit; demonſtremus autem adverſus Simonem Epiſcopium (*t*) Auctorem Operis cui titulus: *Irenicum Irenicorum* (*u*): cæteroſque apud Batavos Remonſtrantes, quos apto vocabulo *Semi-Socinianos* appellari poſſe exiſtimamus. Cum enim Catholicam de Sanctiſſima Trinitate doctrinam veriſſimam eſſe nobiſcum fateantur, eam tamen ſaluti neceſſariam non eſſe, nec inter *fundamentales*, ut ajunt, Fidei articulos reponendam arbitrantur; proindeque cum iis, qui illam negant, communionem, & ſocietatem haberi non ſolum poſſe, ſed etiam oportere definiunt. Horum ergo ſententia eſt ad ſalutem ſatis eſſe, ſi quis Deum, & Chriſtum, tanquam ejus Legatum noverit (*v*), eiſque ſub utroque nomine debitum honorem impendat, modo præterea omnia novæ Legis mandata obſervet. Verum quis ex Catholicis Remonſtrantium errores æquo animo ferat? Præterquamquod enim

(t) *Lib. 4. Inſtit. theol. ſect. 2. cap. 34.*

(u) *p. 73.*

(v) Huc præcipue ſpectat doctrina a Joanne Lockio tradita in Opere, cui titulus: *Le Chriſtianiſme Raiſonnable*. Ibi enim docet, Fidei articulos, quos Chriſtus, & Apoſtoli credendos proponebant iis, quibus Euangelium annuntiabant, fuiſſe tantum duos, nempe: *eſſe Deum: Chriſtum eſſe Dei Legatum, ſeu Meſſiam*. Adverſus Lockium ſtylum acriter exercuit Joannes Edovardius Libro, quem inſcripſit: *Le Socinianiſme demaſqué* (*en Anglois. Londres* 1696.) Eadem, qua Lockius, oberrat chorda Joannes Clericus *dans les ſentimens de quelques Theologiens de Hollande*, &c.

enim propugnata ab ipſis diſtinctio inter articulos Fidei *fundamentales*, & non *fundamentales* rejicienda omnino eſt, utpote quæ cum Eccleſiæ Catholicæ unitate conciliari nequit (*x*), apertiſſimis inſuper Scripturarum teſtimoniis revincuntur. Nam Joannes poſtquam nobis Chriſti Divinitatem propoſuit, hæc ſtatim ſubdit: *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus* (*y*). Illa etiam habet: *qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei* (*z*). Ergo ex Joanne qui in Chriſti Divinitatem non credit neque Filius Dei eſt, neque hæres. Præterea, inquit Petrus: *nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri* (*a*). In quo ergo nomine ſalutem conſequentur, qui rectam Chriſti fidem abjecerunt (*b*)?

Illud

(x) Ejuſmodi diſtinctionem diſerte refellit inter alios præcipue D. Niccole in Opere a ſe Gallico idiomate exarato de *Unitate Eccleſiæ*, quod Juriæi ſyſtemati oppoſuit: adverſus quem egregie diſſeruit pariter Meldenſis Epiſcopus Boſſuetius.

(y) *Euang. cap. 1. v. 12.*

(z) *ibid. cap. 3. v. 18.*

(a) *Act. Apoſt. cap. 4. v. 12.*

(b) Huc referri debent lucubrationes eorum Theologorum, qui commonſtrant, fidem *explicitam* in Chriſtum neceſſariam eſſe: inter quos recenſendum præcipue eſt Opus *de Neceſſitate Fidei in Chriſtum*, quod elaboravit A. Arnaldus. Huc pariter referenda Diſſertatio, quam ex Proteſtantibus conſcripſit Georgius Bullus, celebris Epiſcopii adverſarius, quæque ſequitur *Defenſionem Nicænæ Fidei*.

Propoſitio hæc quam late pateat, quiſque Theologus percipere poteſt. Hinc enim ſequitur, minime audiendos eſſe nonnullos Scriptores, cæteroquin Catholicos, qui docent, Fidem in unum Deum, ejuſdemque cultum, ac virtutum moralium exercitium, juvante Deo per gratiam ſuam, quam omnibus hominibus indiſcriminatim conceſſam ſupponunt, idonea media fuiſſe, quibus omnes nationes ſalutem ſperare poterant. Sequitur etiam, deferendum eſſe Scriptorem alium, cæteroquin & hunc Catholicum, qui paucis abhinc annis librum edidit, in quo omnibus cujuſvis ſectæ hominibus iter ſalutis recludit, omneſque ſive Judæos, ſive Mahumetanos, ſive Paganos, dummodo virtutibus moralibus polleant, in Regnum Cœlorum trudit. Eos omnes Scriptores prætermittimus, qui immodicis laudibus Ethnicorum Philoſophorum virtutes extulerunt ac Chriſtianis æquarunt: qui veterum

Ci-

Illud ergo veluti coronidis loco religioſe profiteamur, a quo Noſtras Propoſitiones auſpicati ſumus : *Scimus, quoniam Filius Dei venit . . . Hic eſt verus Deus, & vita æterna.*

Cinenſium Religionis, ac Ethicæ puritatem prædicarunt : qui denique tot, tantaque abſurda circa opera, ac ſalutem Indorum, aliorumque populorum infidelium effutierunt. Quorum omnium Scriptorum in rebus Theologicis Syſtema viam demum ſternere ad Naturaliſmum, cujus tot liberiorum ætatis noſtræ Philoſophorum libelli pleni ſunt, graviſſimi, doctiſſimique Theologi animadverterunt.

F I N I S.

Digitized by Google

Diſputabuntur publice in Ædibus Epiſcopalibus anno MDCCLXXV. Menſe Die Hora

Digitized by Google

Digitized by Google